



Hieronymus ex honesta familia natus, & in omni genere uirtutum optimè educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, in sua patria prima artium & linguarum fundamēta feliciter iecit, atq; literarum amore sese postea ad uarias Academi-
 as contulit. Ibi ante omnia artes dicendi excoluit, atque earum magnum sibi usum comparauit. Deinde animum ad Iuris studia conuertit, & in ijs adeò profecit, ut omnium assensu Legum Doctor crearetur. Inerat autē Hieronymo rara quoq; prudentia, & naturalis faciētia. huic eruditioni uitę integritatem cōiunxerat. Itaq; factum ut à Marquardo Episcopo Spirēsi doctissimo, Hieronymus uocatus, in consilium adoptatus, atq; ipsius Cancellarius (quem uocant) constitutus fuerit. Eam functionem Moserus suscepit, & singulari industria res sibi commissas optimè expediuit, ut dictum illud, qualis princeps talis populus, uerissimum appareat. Nam Hieronymus principis mores emulatus, reliquos suo exemplo ad uirtutes excitauit, atq; in primis literarum studia promouit. Hinc factum ut nō modò principi, uerū etiam cunctis subditis gratissimus extiterit. Cum autem ea uiuendi ratione etiamnum magna laude pergat, eum meritò uiris optimis Germaniæ connumerandum censui. Anon.